

dicaverunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse, si ad iudices alios itum foret: nunc haud sane quicquam bono causae levatur dedecus iudicij: idque non Aricinis Ardeatibusque, quam Patribus Romanis, foedius atque acerbius visum. Reliquum anni quietum ab urbanis motibus et ab externis mansit.

EPITOME LIBRI IV.

Lex de connubio Patrum et plebis a tribunis plebis contentione magna, Patribus repugnantibus, perlata est. Tribuni militares. Aliquot annis res populi Romanii domi militiaeque per hoc genus magistratus administratae sunt. Item censores tunc primum creati sunt. Ager Ardeatibus populi Romani iudicio ablatus, missis in eum colonis, restitutus est. Quum fame populus Romanus laboraret, Sp. Maelius, eques Romanus, frumentum populo sua impensa largitus est: et, ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans a C. Servilio Ahala, magistro equitum, iussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est: L. Minucius index bove aurata donatus est. Legatis Romanis a Fidenatibus occisis, quoniam ob rempublicam occubuerant, statuae in Rostris positae sunt. Cossus Cornelius tribunus militum, occiso Tolumnio rege Venientium, opima spolia secunda retulit. Mam. Aemilius dictator, censurae honore, qui antea per quinquennium gerebatur, anni et sex mensium spatio finito, ob eam rem a censoribus notatus est. Fideneae in potestatem redactae, eoque coloni missi sunt: quibus occisis, Fideneates, quum defecissent, a Mam. Aemilio dictatore victi sunt, et Fideneae captae. Coniuratio servorum oppressa est. Postumius, tribunus mili-

tum, propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipendium ex aerario tum primum militibus datum est. Res praeterea gestas adversus Volscos, et Fidenates, et Faliscos continet.

T. LIVII PATAVINI
LIBER IV.

Hos secuti M. Genucius et C. Curtius consules. Fuit annus domi forisque infestus. Nam anni principio et de connubio Patrum et plebis C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgavit; qua contaminari sanguinem suum Patres, confundique iura gentium rebantur: et mentio, primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novem tribuni promulgarent, *Ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet, consules faciendi.* Id vero si fieret, non vulgari modo cum infimis, sed prorsus auferri a primoribus ad plebem, summum imperium credebant. Laeti ergo audiere Patres, Ardeatium populum ob iniuriam agri abiudicati descisse, et Veientes depopulatos extrema agri Romani, et Volscos Aequosque ob communitam Verruginem freme-re: adeo vel infelix bellum ignominiosae paci prae-ferebant. His itaque in maius etiam acceptis, ut inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tri-buniciae, delectus haberi, bellum armaque vi summa apparari iubent; si quo intentius possit, quam T. Quintio consule apparatum sit. Tum C. Canuleius pauca in senatu vociferatus, nequicquam territando consules avertere plebem a cura novarum legum: nun-quam eos se vivo delectum habituros, antequam ea,